Pudłowski Wenceslai: Theses mundanae ad mentem J. Joan. Duns Scoti.

THESES MVNDANÆ

Ad mentem

F. IOAN. DVNS SCOTI

DOCT. SVBT. conſcriptæ & in Conuentu Vılnen. PP. BERNARDINORVM ad diſputandum propoſitæ. Menſe

Die Hora

Obiectis ſatisfaciente F. VENCESLAO PVDŁOWSKI Ord. Min. de Obſeruantia ſub auſpiciis R. P. F. LEONARDI STARCŻEWSKI eiusdem inſtituti Philoſophiæ Lectoris

TradiditMundumDiſpVtationI eorVm. Eccl: 3.

Eructabo abſCondIta à conſtItutione mundi. mat: 13.

VILNÆ
Apud Iozephum Karcanum Anno 1613.

IN STEMMATA GENTILITIA MAGNIFICI DOMINI DOMINI CAPITANEI EISSISIENSIS &c. &c.



Sydera trina ſtupes? Cruce ſignatumq; Tridentem,
Poſt Telumq; biceps, poſt tripliceſq; Strigas?
Diſce, ſcientificum pectus dant Aſtra, piumq;
Crux, aſt Herculeum Miſsile, diſq; Strigæ.
Næ ſacras Phaleras, ſacris inſignibus auctas!
Supparibus meritis, præmia facta vides.

Magnifico & Generoso Domino,

D. DEMETRIO KARP,

CAPITANEO EISSISIENSI

S. R. M. SECRETARIO &c. &c.

Domino & Benefactori colendissimo.

F. VENCESLAVS PVDŁOWSKI Ord. S. Francisci de Obseruantia felicitatem omnem precatur.

MVlti deuenerunt in eam opinionem, Magnifice Domine, qui Regem Macedonem aliquando in lachrymas, non aliam, quàm ob dominandi causam, erupisse clamitant. sed hæc quàm alienissima ab eo, cui ob res præclarè actas & plurimū auctas Magni nomen inditum est, fuerint, facilè verus rerum æstimator aduertet. Enimuerò quomodo Magnus appellandus venit, cuius maiestas cum lacrymis, magnitudo cum pusillanimitate, regia dignitas cum puerorū singultibus cohæsisse deprehendentur? Flere magis ad pueros & effæminatos animos quam ad Reges spectare videtur. Si dignitates & honores ambiuit, at Reges subiugauit; si sceptra & imperium quæsiuit, at regna distribuit; si nouam terrā adamauit, at adhuc inclytus Ephe-

Ephebus

bus, non tantū à Philippo Patre suo didicerat belligerando vincere, & vincendo Prouincias numerare: verum etiam ab optimo Magistro suo Peripateticorū Principe, quā angustus esset suus Principatus; totaliter hausit, dum terrā Firmamento comparatam tanquam punctum esse in quo bellauit, triumphauit, regnauit, luculenter percepit. Age ergo, nunquam tantus Princeps rem tam exiguam suis lacrymis æstimauit/aliud procul dubio amplius, magnificētius, & beatius quod defleat, adinuenit. Tutius ego dixerim, Regeq; ipso dignius; licet plures mundos superesse falso didicit, non tamen dominium illorū apetiuisse, sed consimilia omnium fata indoluisse. Et si quis totius vniuersi pulchritudine oblectatum dicat, cum hoc tamen in animo illo generoso ad spatia illa superna longe ampliora & feliciora quæ solùm sibi deesse videbantur, quantocyus auolandi ardens desiderium etiam lacrymarū profluuijs inextinguibile, inualuisse non negabit. Profectò, si vnius solis pulchritudo, animum cuiusdam celeberrimi Philosophi in tantùm demulsit, vt omnes suos obtutus, mentisq; aciem quoad uiueret contemplationi ipsius deuouerit, & si sibi optio daretur, non annos Nestores ducere, sed intra sphæram eiusdem, licet instar Phaëtonis aut Capanei, mox eo viso & cognito, fulmine disyceretur, se breui temporis interuallo manere malle affirmarit, quis iam mirabitur, Monarcham hunc, modo in acie militem strenuum, modo in imperando Regem prudentem, modò in inalta rerum consideratione profundum Philosophum. totius superiorioris felicissimæ regionis tantoperè suaui memoria detine-

det, ner

ri, vt etiam totus in lacrymas resoluatur? Tanti est domicilium illud supernum, tanti sedes beatarum Mentium; vt si cætera, quæ intra ipsas suauitatis, gloriæ, & letitiæ plenissima quæq; inueniuntur; silentio inuoluam, sola eius amplitudo, venustas & celsitudo, & horum omnium mater varietas, animum ab hoc exiguo corporis ergastulo abripere est sufficiens. Quis enim est, qui cum oculos ad cælos extollit, non eius varietatem & multiformen aspectum admiretur? Nam vsq; eo varium & multiplex cælum est, vt in eo summa cum voluptate siue Deus, siue natura lusisse videatur. Sed hæc satius, atq; adeò de totius vniuersi amplitudine & præstantia Thesibus hisce, quasi quibusdam Pandectis committi libuit. Quas vbi primum contexui, statim de singulari Patrono cogitare cæpi. Quod dum facio, Tu Magnifice Domine primus, qui eas clarissimi nominis tui auctoritate, & multiplici virtutum tuarum splendore collustrares, occurristi. Nam quid ego hîc de tui nominis gloria ac virtutum præstantia referam? Quid generis tui nobilitatem? Quid in Patriam amorem? quid in Serenissimũ ac potentisimũ nostrũ Poloniæ Regẽ, & Dominũ clementissimum fidem, cuius nuper clarum testimonium expeditione in Moschouiam suscepta dedisti, percenseam? Ibi verò quantùm suæ S. R. M. carus, quantum Militi proficuus, quantum ipsi M. D. Lituaniæ exercituum generali Duci, qui sine te, de Patriæ negotijs arduis nunquam sedit consulturus, pernecessarius fuisti, sicut calamo perstingere est perquam operosũ, ita non sine maximo laudis tuæ cedere potuit cumulo. Sed hæc alij in te mirentur & prædicent, ego tuam pietatem, & optimum in vniuersum Ordinem nostrum affectum, si prædicauero tantum, nisi eti-

am nostræ gratitudinis aliquod signum addidero, non multum me in hoc officij genere profecisse iudicabo. Sed quod illud erit? Equidem nullum beneficiis tuis par inuenio, nisi cælestis hæc, vel potius totius vniuersi, cælestibus virtutibus tuis adstipulata consideratio, quam tibi meritò dicamus, quaq; animum tuum nunc occupares, & postea suauiter perfruereris, maximo oblectamento, & qualiquali nostræ in te debitæ obseruantiæ indicio esse possit. Hanc tu pro tua singulari humanitate, non ex effectu, sed affectu æstimabis, & Patrocinio, quod rogo, fouebis: fouebis autem, si more tuo fauebis. Vale.

DE MVNDO ARCHETYPO.

THESIS VNICA

DOmine Deus meus es tu exaltabo te, & confitebor nomini tuo; quoniam fecisti mirabilia cogitationes antiquas fideles Amen. Isaiæ 25

ARchetypus mundus in diuina mente æternaliter permanens, nihil aliud est quam ipsa ratio sempiterna vna atque incommutabilis, secundum quam Deus mundum hunc visibilem in tempore architectatus est. voluntate illa antiqua qua ab æterno voluit creatâ definita, definito tempore consistere, & iuxta consilium voluntatis suæ æternum, omnia temporaliter producere. Ephes:

COROLLARIA.

1. SI ex vnitate Archetypi rerum omnium faciendarum exemplaria continentis, mundi Magni vnitatem aliquis demonstrare voluerit, factum ostendet, possibilitatem autem minime: opifex namque vniuersi non tantum mundo comparem habet effectricem potentiam, sed etiam in infinitum excedentem.

2. An autem Deus mundum ab æterno pôssit producere? disputetur. Problem

3. Quod si negantem alicui partem tenere placuerit, in præiudicium potentiæ diuinæ infinitæ, nihil dicet cum habere potentiam sine limite idem sit, quod nihil eorum non posse quæ fieri possunt.

4. Nullum agens cuius voluntas non est sua potentia, potest quidpiam de nihilo producere. quare Angeli neque boni neque mali creatores esse possunt alicuius rei, vt male sâna antiquorum Hereticorum cohors impudenter oblatrabat.

DE MVNDO MAGNO.

THESIS PRIMA.

[Gen]esis. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.

MVndus Magnus dicitur vniuersum, seu cōpages ex cælo terraq́; & ex his naturis quæ intra ea continentur perfectè coagmentata, non perfectione extra genus, sed perfectione in genere.

COROLLARIA.

MOnstra & quæcunq; errata conducunt ad perfectionem & decorem vniuersi non quidem ad decorem substantialem seu quantum ad esse, sed ad decorē accidentalem, ratione sui oppositi, vel boni eliciti, iux. illud Greg. O fœlix culpa quæ talē meruit habere redemptorē. 1.

[G]reg:

[Psa]lm 8. Mundus & omnia quæ Deus ipse non sunt, opera digitorum Dei sunt, ab eo tanquam à causa efficiente non ab æterno sed in tempore ex nihilo (prout ly ex dicit non tantum ordinem naturæ sed etiam durationis) producta. 2.

Totum vniuersum potuit Deus secundùm potentiam absolutam facere melius, tam quo ad esse substantiale creaturarum quam quoad esse accidentale, spectando creaturarum ordinem & inter se & ad Deum. 3.

Potuit etiam Deus super omnia benedictus facere mundum ex partibus maioribus mole, vt Cælum amplius, terram latiorem, & totum deniq; vniuersum altius. Sicut enim æternitatem Dei non æquat tempus, nec immensitatem locus, sic neq; sapientiam sensus, nec potentiam opus. 4.

Bona:

Antiquiorem quoq; mundum potuit facere ille, cuius potentia & operatio nec á materia dependet, nec a forma, ante cuius oculos mille anni tanquam dies hesterna quæ præterijt. 5.

[Psal]m 89.

THE-

THESIS SECVNDA

QVi extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum, terminum circumdedit aquis. Iob. 26.

Mundum eſſe vnum & finitum fide credendum eſt, non propter vnitatem animæ informantis, ſed tum propter harmoniam qua omnia ad cõmune bonum totius vniuerſitatis conſentiunt, tum propter ordinem quem cuncta habent tanquam vnius exercitus milites, & inter ſe, & erga Ducem & Principem Deum.

COROLLARIA.

1. PLures mundos, pluresq; effectus alios ab ijs qui ſunt producti, potuit Deus ſecundùm ſuam abſolutam potentiam creare: multum enim valere illi ſupererat ſemper, & virtuti brachii eius ante quẽ eſt orbis terrarum, tanquam momentum ſtateræ, & tanquam gutta roris antelucana, quæ deſcendit in terram, quis reſiſtet? Eccl. 8.

2. Opinio illa obſoleta Antiquorum dicentium hanc ſpectabilem vniuerſitatem mundi animal quoddam eſſe ex varijs elementis conglobatum, quod mente & ſpiritu viuat, quodq; in profundis Oceani nares habeat per quas anhelitus emittat, & hinc Maria inflet & poſtea reuocet, an falſa, an potius fictitia vocari debeat, non conſtat.

3. Eiuſdem eſt momenti ille error dicens, Mundum eſſe animal ſine oculis, quia nihil extrà, quod cerni poſsit, relictum eſt: ſine auribus, cum nihil ſuperſit foris quod audiatur: ſine manibus, quia non capiendum, nec repellendum quidquam ſibi reſtat: ſine pedibus & alijs ad progreſſum ſtatumue artubus, quia motum circularem habet qui pedibus non eget. Nec membra talia habet, per quæ noua alimenta ſuſcipere poſsit, aut decocta demittere, cum non ſit aut quo aut vnde talia fierent.

Creatura

Creatura omnis eo ipſo quia compoſita eſt, & quia aliunde eſt, & ex nihilo producta, nec eſt nec poteſt eſſe infinita actu ſecundùm eſſentiam: ſicut enim impoſsibile eſt eſſe Deum præter Deum, ita impoſsibile eſt vt aliquid præter Deum habeat eſſentiam infinitam. 4.

Orbes cæleſtes, Sol, Luna, & omnia aſtra non ſunt animata per formam ſubſtantialiter ſibi intrinſecam, licet habeant intelligentias ſibi aſsiſtentes quarum opera curſus cæleſtes abſoluuntur. 5.

Aër, & omnia elementa non ſunt plena animabus quarum vna alteram generare poſſet, vt placuit erroneè illis, qui dicebant animas adferri in corpora reſpirantibus ventis. 6.

THESIS TERTIA

le: 8. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus perſeuerant in perpetuum.

Mundus de facto in perpetuum eſt duraturus non tamen in eo ſtatu in quo nunc eſt, poſt iudicium enim Cæli & omnia elementa ſecundùm qualitates, ſcilicet ſubtilitatem, diaphaneitatem, puritatem innouabuntur.

COROLLARIA.

STante Dei benedicti communi concurſu mundus tam quo ad corpora cæleſtia quæ in crementa decrementaq; ſuſcipere neſciunt, & alterationes auerſantur, tam quo ad ſublunaria mutationi obnoxia in perpetuum durare poſſet. 1.

Animalia bruta, plantæ, metalla, mixta tam quæ in terra, quam quæ ſubtus terram & in profundo abyſsi poſt diem iudicij ceſſabunt: 2.
Auguſt: tunc enim figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluuium.

Quæcunq; Dei creantis beneficio eſſe habent, ſicut ex nihilo creata ſunt, & de non eſſe ad eſſe prodierunt, ita in merum nihil per Dei potentiam poſſent redigi, cum non habeant tantam eſſendi neceſsitatem, vt à ſuo eſſe aliqua vi decidere non poſsint. 3.

THE-

THESIS QVARTA

Germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum. &c. Gene: 1

Res corporales non immediate ab Angelis bonis aut malis producuntur, sed immediate à corporalibus item causis, quæ vim productiuam sortitæ sunt ab eo, qui omnibus generationem tribuit, quin nec ipse sterilis manet. Isaiæ 6 Cælorum autem actio tantopere est necessaria vt sine illa rerum generatiò, calorumque & frigorum vicissitudo non possit esse.

COROLLARIA

1. CAElestes orbes siue quo ad partes luminosas tantum, siue quo ad omnes partes sui, præter lumen & motum habent alias occultas virtutes, quas vulgò influentias nominamus.

2. Hinc in Perside lapidem Selenitem gigni, cuius interior candor cum Luna crescit atque decrescit apud D. Augustinum in comperto est. Reliqua autem miranda ab eodem conscripta non tam propositum quam Deũ in operibus suis mirabilẽ ostendunt, vt quod Agrigentinus Siciliæ sal si fuerit admotus igni, velut in aqua fluescit si verò aquæ, velut in igne crepitat. Fons item Epyri in quo faces, vt in cæteris extinguuntur accensæ, sed non, vt in cæteris, accenduntur extinctæ. D.Aug Ciu:D 21, c.

3. Calor cælestis cum sit valdè temperatus, propter ordinatum cælorũ motum ad generationem & conseruationem rerum sublunarium est accommodatus. Igneus autem calor, si á natura vel ab arte temperabitur eiusdem efficientiæ erit, cuius est cælestis.

Ecce enim in AEgipto ad Cayrum pulli calore igneo ex ouis excluduntur; ibi namque furnos construunt ouorumque multis centurijs in fornicum superiore planitie dispositis, ignem accendunt temperatum

& statis

er: 23. & statis diebus erumpit turba pullorum. Neque hæc fabula est' sed fabulæ illi ipsi qui negant, inquit Scaliger.

THESIS QVINTA.

er: 3'. Qui dat solem in lumine diei, ordinem Lunæ & stellarum in luminæ noctis, Dominus exercituum nomen illi.

Omnia astra tam fixa quàm erratica, præter lumen suum exiguum & tenue, mutuantur aliud à Sole, qui cum sit fons lucis & cor Planetarum in corona eòrum residens, tam superioribus quàm inferioribus astris, lumen accommodat, & tanquam ministris officia stellantis aulæ distribuit.

COROLLARIA.

LVmen non est substantia completa, nec forma substantialis, nec aliquid pertinens ad genus substantiæ corporeæ, vel incorporeæ, sed est accidens de genere Qualitatis 1.

Idē lumē in medio habet esse Intentionale quod est ratio tendendi in illud cuius est imago & similitudo, cū hoc tamē habet & esse reale. 2.

Lumen efficit calorem, & quo corpus lucidius est, eo magis calefacit, si non est impedimentum, id est, si illi corpori vel non inest vehemens vis refrigerandi, vel non impediunt aliæ atq; aliæ coniunctiones, per quas cohibeatur, ne tantum caloris imprimat. 3.

sdr. 4. THESIS SEXTA

Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti

NOn quodlibet elementum superius maius est inferiori sibi proxime cohærenti, nec pro-

portionem

portionem decuplam, ita vt superius decuplo maius sit inferiori sibi proximo, inter illa seruari censendum est.

COROLLARIA.

1. INter quatuor elementa quæ Deus vniuersi conditor ad omnium rerum effectionem constituit, ignis cum eminentiori loco excellentioris naturæ gradum obtinuit, quia vltra hoc quod leuitatem motricium qualitatum nobilissimam sibi vendicat est etiam actuosior & ad res efficiendas vniuersalior, tam in operibus artis quam naturæ, arti enim ita in vsu est vt magister artium nuncupetur. Naturæ vero adeo inseruit vt Zeno crediderit naturam nihil aliud esse nisi ignem artificiosum.

2. Vnumquodq; elementum in suo naturali statu consideratum è quatuor qualitatibus primis vnam summè intensam aliam in excellenti gradu sibi determinat; vnde ignis est summè calidus, in excellenti siccus, aer in excellenti calidus, summè humidus. Aqua summè frigida, in excellenti humida, terra inexcellenti frigida summè sicca.

3. Omnia elementa sunt sphærica, etiam terra, licet habeat multas concauitates & eminentias, non quidem figuratione Mathematica perfectissima ita vt nulla sit obliquitas in ea, sed figuratione Physica quæ stat cum multis depressionibus & eminentijs.

4. Ventus non est âer motus, sed est agitata respiratio, vt communiter ex exhalatione calida & sicca tunc prouenìens quando halitus sursum ire non permittuntur, & contendentes ascendere si non possunt recta transire latera petunt, & sic flatum edunt, nonnunquam adeo horrendum, vt terras & maria concutiant, naues submergant, turres deyciant, ingentes arbores radicitus euellant, setegesq; sternant.

THESIS SEPTIMA

Quis est pluuiæ Pater ? vel quis genuit stillas roris ?, de cuiusvtero egressa est glacies : & gelu de cælo quis genuit ? Iob.3

Illorum omnium quæ in Meteorologia enarrantur, remota materia est terra & aqua; proxima verò Euaporatio, quæ in vàporem & exhalationem distinguitur. Porro vapor est fumus tepidus atq; humidus, qui à corporibus humidis eleuatur, similis illi, qui in cacabo aqua calefàcta attollitur. Exhalatio itē est fumus seu ex spiratio calida & sicca à terra eleuata, ex qua Meteora ignea & àërea propagantur.

COROLLARIA.

Quinq; sunt impressiones aqueæ ex halitu calido & humido generatæ, quem ex locis madidis sursum astra calore suo vel in mediam àëris regionem, vel in infimam euocant: suntq; hæ, pluuia, grando, nix, ros, & pruina. 1.

Pluuia in media regione áeris ex nube generatur. Est autem nubes vapor densus & humidus, qui ab aqua vel terra madefacta eductus, & ad secundam regionem àëris delatus, ibiq; ob algorem regionis illius & propter natiuum frigus, ad quod se reuocauit condensatus, pendet. 2.

Pluuiarum alia est naturalis, quæ fit ordine & modo præscripto à natura, alia supernaturalis, quæ ad terrorem mortalium immititur, vt quando carne, sanguine, lapidibus pluisse legimus; talis prodigiosa pluuiarum immissio aliquando fit ab Angelis bonis, aliquando à malis, & etiam à veneficis maxime vetulis condictamen cum Dæmone habentibus. Sic enim de quadam apud Pôëtam legimus. 3.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas velit; Ast alijs duras imittere curas
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retro
Nocturnosq; ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terrā, & descendere mōtibus ornos

4. Nix generatur ex vapore ad mediam vsq; aëris regionem subuecto, in qua propter frigus intensũ ante extillationem nubium fit cõcretio, si quidem nubes raræ ac sparsæ sic frigore crescunt vt prorsus congelentur, & postea ob grauitatem deorsum versus ruant.

Grando est pluuia vel in media vel in infima regione congelata. Ros
5. fit ex vapore subtili astrorum & sôlis virtute ad medium imæ regionis áeris sublato, qui accessione nocturni frigoris in aquas soluitur. Pruina eodem fit modo, quo ros, nisi quod hîc maior frigiditas noctis accedit.

THESIS OCTAVA

Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia Iob. 3

IN media regione àëris & strepitus fragoresq; excitantur, & ignes quidam conspiciuntur qui ex magna exhalationis copia per antiperistasim, vel per collisionem partium generanrur. Quando scilicet frigus huius regionis non permittit vlteriorem exhalationi ascensum, sed eam retundit, quæ & strepitum facit, & in fulgura fulminaq; vertitur.

COROLLARIA

1. FVlgur est exhalatio calida & sicca ex frequenti agitatione, vel ex vehementi ad nubem collisione succensa; quæ succensio licet posterius fiat quam tonitru, prius tamen nostris se obtutibus offert, eo quod visus anticipet auditum.

Hoc tamen non Vniuersaliter velim intelligas, quia aliquando tonitru
2. auditur & nulla coruscatio cernitur quando s. exhalatio antequãflam-

mam

mam concipiat nubem diu quatit & tonitrua facit: aliquando veró fulgetrum conſpicitur & tonitru non auditur, quando ſ. nubes exhalationi diſcurrenti non valde reſiſtit, ſed proportionatam tantum concretionem habet ad excitandum ignem in exhalatione.

Fulmen eſt exhalatio ignita intra nubem ex vapore factam bene compacta, & poſtea é nube magno impetu excuſſa, & cum ſit tenax & pinguis, accidit vt aliquando in lapidem coëat cum ſua caliditate atq; agitatione magis atq; magis percoquitur. 3.

Reliquæ Meteoricæ ignitæ impreſsiones quæ & in ſcholis examinantur, & in tribus aëris regionibus viſuntur eaſdem cauſas habent, niſi quod eis materiæ aut caloris aut raritatis aut leuitatis plus minusuè accidat. 4.

DE MVNDO MICROCOSMO.

THESIS PRIMA.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

[Gen]eſis. 1.

MVndus paruus vocatur homo, animal illud deiforme manſuetum natura, ſecundum legem rationis diſciplinæ ſusceptibile, diuinam in ſe & totius vniuerſi repræſentans imaginem, eſt enim in illo mixtum ex elementis corpus, vita ſtirpium, brutorum animalium ſenſus, Angelicæ mentis propter intelligendi vim participatio, ac deniq; quod ſummum eſt impreſſa Diuinitatis effigies.

COROL

COROLLARIA

1. ET Homo; & animalia perfecta, quæ ad sui generationem determinatum naturæ processum poscunt, non possunt ab aliqna virtute cælesti æquè atque imperfecta produci, sed egent proprio sibique peculiari progenitore. Omnes itaque sicut in Adam peccauimus, sic ab eo descendimus.

2. Potest tamen virtus aliqua corpus non plena mixtione mixtum formare, elementa actiua & passiua simul conuenienter disponendo & corporibus cælestibus in situ conuenienti approximando, vt inducatur forma particularis qualis nata est á talibus agentibus induci.

3. Monstrosa hominum genera, ex quibus quidam vnum oculum in fronte media habere perhibentur, quidā plantas versas post crura quidā staturam cubitalem, quos pigmeos á cubito Græci vocant; quidam singula tantum crura, nec poplitem flectere esseque mirabilis celeritatis, quos Scipiodas vocant, eó quod per æstum in terra resupini iacentes, vmbra se pedum protegant. Quidam sine ceruice oculos habere in humeris dicuntur. quidam ora non habere, sed tantum per nares suscepto & emisso halitu viuere. Alios canina capita, atque ipse latratus magis bestias quàm homines videtur monstrare. Hæc inquam, Monstrosa genera quæ Gentium narrat historia aut omninò nulla sunt, aut si sunt homines non sunt, aut ex Adam sunt si homines sunt. D. Aug: Ciu: Dei 16. c.

4. Qualis autem apud nos de Monstrosis hominum partubus redditur ratio, talis de Monstrosis quibusdam Gentibus reddi potest vnde si aliqua gens talis esset, qualis aliquando apud Hypponem homo natus est, scilicet quasi lunatas manus & plantas habens & in eis binos tantum digitos. Similiter si talis qualis in Francia adultus fuit, scilicet habens duo capita, quorum vni decumbere, & alteri insōnem esse, vni bene facere, alteri lasciuire placuit, non propter hoc tamen ab Adam descendisse negaretur. Caro concupiscit aduersus spiritum spiritus aduersus carnem. Scot: in d. 6. q.

THESIS SECVNDA.

A signis cæli nolite metuere quæ timent gentes. Hierem:

In voluntatem humanam astra influere necessariò & motione directa non tantum est falsum

ſum, ſed etiam Hæreticum & Diabolicum figmentum, Chriſtianæ Religioni, Senſui, & rectæ ratiori repugnans, tollit enim meritum, tollit præmium, tollit gratiam, tollit onſequenter gloriam.

.Bonau in .. Sent.

COROLLARIA

1. Indirecta motione diſpoſitiuè & contingenter in hominem aſtra agere poſſunt, quia diſpoſitio varia corporis multum facit ad variationem affectionum, vt plurimum enim, maximè in hominibus animaliter viuentibus, anima complexiones corporis imitatur. Hinc cholerici ſunt iracundi, ſanguinei benigni, Melancholici liuidi, flegmatici pigri: hoc autem non eſt neceſſario cum dictum ſit; Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. (enesis: 4.)

2. Genethliacorum ſcita & promiſſa, & Aſtrologorum aliorum, in his quæ ſunt liberi arbitrij, licet aliquando ſint vera, eò quod homines ſæpè ſequnutur paſsiones appetitus ſenſitiui quæ ſubiacent aſtris tamen non ſunt certa & infalibilia, quia ſapiens dominabitur aſtris. Augures autem cæli ſunt quaſi ſtipula. (olom. / aiæ 47.)

3. Promiſſa porrò illa circa genituras Neronis & octauiani, cum ab Aſtrologis iſte orbis terrarum Dominus proclamatus, ille vero Imperator matrem Agryppinam necaturus prænuntiatus, Cur fuerint ſuum ſortita effectum? forte ideò, quia ex inſtinctu ſpiritus maligni hæc fuerint prædicta, non ſecus atq; illud quod L. Ponty ſeruus Syllæ Conſuli vaticinatus eſt inquiens, A Bellona nuncius venio, victoria tua eſt Syla. Deinde arſurum eſſe Capitolium adiecit quod poſtera die concitatior reuerſus arſiſſe clamauit. (uæ reſpō- / t. occidat / odo Impe / ret)

4. Portentoſa militum in ſublimi confligentium ſpectacula, qualia temporibus Machabæorum fuerunt & qualia anno illo, quo Veſpaſianus Hieroſolimas deleuit extiterunt. Apparuerunt enim currus varijs Cæli regionibus vagantes, viſæq; ſunt armatæ acies in nubibus concertantes, talia inquam ſpectra rationes Phyſicas non habent, ſed imperio permiſſuq; diuino modò ab Angelis bonis, modò à malis fiunt, eo fine vt calamitates, malaq; ventura Mortalibus niſi reſipiſcant, prænuntient. (.Aug: 2. de / iu: D. c. 24 / Math: 5. / ſep. de bel / Iud:)

.Au: 2. de / u: Dei c. 25.

DeoTrino & vni, ac Deiparæ ſéperq; Virgini Matri ſuper omnē æternitatem honor & impium.